



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. IX. Si hostis satisfactionem offerat, mitiùs agendu[m] est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

verò, inquit, quam in Asia Cyrus, in Græcia Lacedæmonii, atque Athenienses, capere vrbes atq; nationes subigere, libidinem dominandi causam belli habere, maximam gloriam in maximo imperio putare, & cetera quæ ipse instituerat dicere. Mihi huc vsq; satis sit ei⁹ verba posuisse. Libido ista dominandi magnis malis agit at & conterit genus humanum. Hac libidine Roma tunc victa Albam se vicisse triumphabat, & sui secleris laudem gloriam nominabat.

Ira Regum
causa bello-
rum.

§. 8. Bella ob subitam, & iniquam Regum ferociam, multa orbem contriuerunt. Seneca lib. 3. de ira c. 20. Non enim Cati sentiam, sed ira malum propositum est scribere, quæ non tantum viritum furit, sed gentes totas lancinat, sed vrbes, sed flumina, & tuta ab omni sensu doloris conuerberat. Sicut Rex Persarum, totius populi nares recidit in Syria: inde Rhinocolura loci nomen est. Perperisse illum iudicas, quod non tota capita præcidit: nouo genere pœne delictatus est. Tale aliquid passi forentur Æthiopes, qui ob longissimum vitæ spacium Macrobius appellantur, in hos enim, quia non supinis manibus exceperant seruitutem, missi, legatis libera responsa dederant, quæ contumeliosa Reges vocant, Cambyfes fremebat: & non prouisis commeatibus, non exploratis itineribus, per inuita, per arentia trahebat omnem bello vtilem turbam: cui inter primum iter deerant necessaria, nec quicquam subministrabat sterilis & inculta humanog, ignota vestigio regio. Sustinebant famem primo tenerissima frondium, & cacumina arborum, tum coria igne molita, & quicquid necessitas cibum fecerat: postquam inter harenas radices quoq; & herba defecerant, apparuitq; mors etiam animalium solitudo, decimum quemq; sortiti, alimentum habuerunt fame sauius. Agebat adhuc ira Regem præcipientem, cum partem exercitus amisisset, partem comedisset: donec timuit, ne & ipse vocaretur ad sortem, tum demum signum receptui dedit. Seruabantur interim illi generosa aues, & instrumenta epularum camelis rehebantur: cum sortirentur milites eius, quis male periret, quis penus viueret. Hic iratus fuit genti, & ignota & immerita, sensura tamen: Cyrus flumini. Nam cū Babylonē oppugnaturus festinaret ad bella, cui⁹ maxima momenta in occasionibus sunt, Cynden latē fufum omnem vado transire tentauit: quod vix tutum est etiam, cum sensu astra-rem, & ad minimum deductus est. Hac de re dixi cum de tyrannide, & crudelitate egi.

Ob miseros
receptos.
bellum ge-
rere non li-
cet.

§. 9. Propter eos, qui ex hostibus profugerunt, receptos, bellum indicere, nisi sint ipsi malorum auctores, iniquum puto, cur enim excisa patria reliquias persequantur? Israëlita⁹ sanè sexcentis Benjaminitis perperere, imo vxores etiam dedere. Iud. vltimo. Faterur suorum improbum odium Florus l. 2. c. 18. Non temerè, si scateri licet, vilius causa belli iniustior. Sedigenses socios & consanguineos, Romanorum manibus elapsos exceperant. Habita pro eū deprecatio nihil valuit, cum se ab omni bellorum contagione remouerent, in legitimi fœderis pretium iusta arma deponere. Hoc sic à Barbâris acceptum, quasi manus absinderentur. Itaq; statim Megara viro fortissimo duce ad arma conuersi, Pompeium praelio aggressi, Fœdus tamen maluerunt, cum debellare potuissent. Hostilium deinde Mancinum. Hunc quoq; assiduè cadib⁹ ita subegerunt, vt ne oculos quidem aut vocem Numantini viri quispiam sustineret. Tamen cum hoc quoq; fœdus maluerit, contenti armorum manibus, cum ad internecionem saure potuissent.

Omninò fateri licet, iniuria facta est Numantinis, non modo, quia initium belli sine causa fuit, sed etiam quia fœdera violata, quia pro clementia crudelitas repensâ est. Nam dedere se volebant, si toleranda viris imperarentur, sed cum Scipio veram vellet, & sine exceptione victoriam, eo miseriarum redacti sunt, vt tentata pugna, eruptione, fuga se ipsi tandem peremerint. Concludam insigni responso barbaræ nationis. Bellum si iustum non est, latrocinium est. Seyrharum legatus hoc liberè Alexandro. Tu qui gloriaris ad latrones persequendos te venire, omnium gentium quas adiisti, latro es.

CAPVT IX.

Si hostis satisfactionem offerat, mitius
agendum est.

§. 1. **D**VPLEX est hoc loco disputatio; nam quæritur, si hostis, qui iniuriam obtulit, dicat nolle factum, & iudicio æquo reparare damnum velit, an pars læsa cogatur eam acceptare satisfactionem, & bello abstinere? Deinde si liberum sit Principi vel acceptare satisfactionem, vel eos bello persequi, quid luadendum illi sit? siue quid expediat?

§. 2. In priore controuersia non idem sentiunt Doctores. Nonnulli enim oblata satisfactione, iubent abstinere bello, cum nondum sanguine fuso factum est, at si jam acies conflixerint, si murum arces perculserint, alij putant contempta satisfactione bellandum, alij abstinendum bello. Mihi magnâ distinctione vtendum videtur, atque his propositionibus res explicanda.

PROPOSITIO I. Iniuria infertur, vel cum fortunæ auferuntur, vel cum corporibus vis infertur, vel cum per calumniam fama & honos læditur, & interdum omnia ista conjunguntur; Denique cum diuina maiestas per sacrilegia, crimen infidelitatis, vel hærescos læditur. De singulis dicendum est. Intelligo verò ista publico, hoc est, totius Reipublicæ iudicio fieri.

PROPOSITIO II. In his facilima compensatio est, fortunarum ablatarum, & honoris. Pecunia enim pecoraque restitui possunt, aut æqua precia rependi. Honor recantatis conuiitijs, & confessâ calumnia etiam redintegrari videtur. Verum duo faciunt hanc rem difficiliorem. Primum est, quod non modo res ablata restitundæ sunt, verum etiam detrimenta, quæ consecuta sunt, compensanda; hoc enim quod in iudicio ciuili decernitur, vt sumptus, damna, lucri cessatio, omnia omninò ad æqualitatem rependantur, id etiam in bello requiritur. Alterum est, quod postquam omnia restituta sunt, pœna nihilominus injurianti, & quidem duplex infligenda sit, nempe vt rependat injuriam passo aliquid pro contumeliâ, quam intulit, cum res vi auferret, pro timore ejus, pro sollicitudine & molestiâ, quam sustinuit, dum re sua careret: Eam ob causam Exod. 22. 4. 7. 9. fur duplum cogitur reddere proximo. Hoc autem facto, aliam quoque pœnam exigit Reipublica ob bonum commune seruandum. Itaque postquam reddita sunt furta, & recantata est calumnia, furtum furca, calumniam exilio, carcere, aliæ ratione plectitur. Itaq; Reipub. quæ læsit, eo modo satisfacere secundum leges debet: Hoc enim juris naturalis est, vt æqualitas inter eos constituatur, qui alienâ injuria facti sunt inæquales. Neq; hæc alia lex est priuatorum & regnorum inter se. Nam vt in eodem regno vel ciuitate iustitiæ æqualitas seruanda est à iudice, ita in societate humani generis, cujus membra sunt regna, inter regna etiam æqualitas constituenda, vt finum alteri aliquid abstulit p injuriam, p iustitiam restituat. Hac tamen moderatione, & leni arbitrio, vt satisfactio recipiatur, non alia Reipublica opprimatur: seruandæ enim leges, quæ in priuatis, in fauorem restituentis sunt.

PROPOSITIO III. In pudicitia violata, & vita ablata restitutio difficilima est. Nam cum adulteria, raptus, violentiaque, & cædes morte puniantur, non videtur alia ratio satisfaciendi, quam vt Reipublica, quæ ista fecit, tota se morti offerat, & colla securibus submittat; omnes enim sunt homicida, omnes adulteri,

Ingi-
mer

Restitutio-
ne facta
belli omi-
tendum.

teri, raptores, atque satisfactio nihil aliud videtur, quam plena deditio ad liberum victoris arbitrium. Exemplum est in sacris literis, cum enim Gabonitæ vxorē Leuitæ libidinando occidissent, nuntios ad omnem Benjamin miserunt filij Israel ex Maspath, qui dicerent, cur tantum nefas in vobis repertum est? tradite homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrarunt, vt moriantur, & auferatur malum de Israel. Ecce dedi malefactores postulant, quod cum non fieret, omnes defensores, hoc est, tota tribus Benjamin morti destinatur. Idem autem jus videtur Respublica vna in alteram habere, quod omnes filij Israel in vnam tribum. Hinc dedit solent, qui priuata auctoritate alienam Rempublicam læserunt. Hæc quamuis requiri videatur satisfactio, non tamen exigi debet, vt omnes puniantur, neque si Rex alteri Regi nocuit, opus est, vt moriturus eum adeat, aut regnum tradat.

Ingentium inter Resp. PROPOSITIO IV. Satisfactionis itaq; moderatio, vt iustitia seruetur, cum inter diuersas Respublicas agitur, non secundum leges scriptas, sed ius naturale, & ius gentium faciendū est. In quo primum facilius redditur in famā, & fortunā læsā, neque enim ad flagra, neque ad furcam tradere quēq; est necesse, cum naturali iure pœna mortis non sit illis delictis statuta, imò ne omnium quidem gentium legibus furtum capitale sit. Quando autem pudicitia violata est, quamuis raptus, & adulteria diuinā lege mortis sententiam acceperint, non tamen ne sic quidem opus est, vt se se dedat ad gladium Respublica, iudiciales enim sunt illæ leges, & Hebræorum, non omnium gentium, & quauis pars læsa possit pœnam mortis exigere, si habeat reum in potestate; non teneatur tamen Respublica reā se morti offerre. Alia ratio erat in Benjaminitis, q. lege diuina tenebantur reos tradere, vel occidere. Potuissent n. alia ratione satisfacere alijs gentibus, si Channanitidi, vel Moabitidi iniuria tanta fuisset irrogata. David sanè adulterium, & homicidium commisit, nec morti tamen ius est, nec regno decedere. Absoloni quoq; cædem fraternam condonauit pater. Itaq; quamuis Rex aliquis auctoritate Senatus, iussu populi, omnium consensu, alium Regem aliquorum cæde, alijs vñ modis læserit, si verè ipse, & populus, senatoresq; pœnitent, si omni modo satisfacere sint parati, non debet ab illis exigi, vt omnes se dedant arbitrio lësorum, in mortem aut vincula, sed contentus debet esse ille, qui læsus est pœnā a liqua mitiore, ppter multitudinem, & plurimos innocentes, imò vel ipse iudicare, vel ad arbitros rem remittere. Joab sanè multitudini etiam in acie parcendum putauit. Hujus rei causa est, q. bellum cum non est necessarium, non agendum sine necessitate. Vel n. tum pugnabit, vt damna sua compenset, vel vt vlciscatur iniuriam, at damna opum & honoris redduntur, pudicitia & mortis irreparabilia sunt; compensatio fiat ex æquo & bono. Iniuriam cū agnoscunt, & satisfactionem offerunt conuenientem, ea acceptari debet, cum autem grauissima sit pœna mortis & seruitutis, possitq; minor exigi, iniuste faciet, si ad tam graues cōditiones totā Remp. redigere velit. Deinde iudex est in hac causā ob delictum alterius, sed cum satisfactio offertur, tanquam cum parte agit, & licet adhuc iudicis partes sustineat, audire tamen etiam tenetur tanquam pars, aut iudex partem. Maxime moueor, vt leniter agendum putem; quia aliōqui nullus esset omnino bellandi finis, cum in hostis armati arbitrium, nemo se facillè committat, atque hæc de totā Republica.

§. 3. Quod si Rex læsus exigit, vt omnes se morti offerant, aut deditionem faciant, vt liberum vitæ, & necis arbitrium penes ipsum sit, aut sanè, vt datā vitā se illi omnes subiciant, Reipubl. formam immutent, id arbitror injuriantibus faciendum, si magna

damna intulerunt, agros vastarunt, vrbes diripiunt, hic enim æqualitas est compensationis, in minoribus id non facient, vt si legatos irriserunt, vt Ammonitæ, quando Davidis legatos cum ignominia remisserunt, tantam satisfactionem puto non oportere fieri, & iniquè exigi. Davidis victoria crudelis fuit, quia vltra bellum pararunt vt eum euerterent. Nam multi innocentes, omnes posterius luere ista cogerentur. Poterunt igitur portas occludere, sese tueri, vt contra tyrannum maiora delictis supplicia inferentem. Tota verò difficultas est in eo, q. cum priuatus admisit, q. morte dignum est, non potest sese contra ministros iustitiæ defendere, sed latæ sententiæ iudicis succumbere oportet; at hic Respub. rea est, Princeps læsus iudex, sententia fertur, cum bellum decernitur, denunciat mors reo, cum bellum indicitur, mori igitur & seruire Respubl. injuriosa tenetur, & hanc sententiam, quia iusta est, potest Rex exequi, qualiscunque offeratur satisfactio. Verum hac in re dissimilia ita multa sunt, vt argumentū reddatur infirmum. Nam Regis denunciantis bellum hostibus, & iudicis addicentis reum est, & esse debet diuersa sententia. Iudicis n. mens est, vt reus ppter delictum moriatur. Regis verò vt vi hostem adigat ad satisfaciendum p. damno, non autem Rex cui bellum indicitur, ejusque Principes & populus nocens moriatur, multo minus, vt omnes seruitutem seruiant, etiam innocentes; sed vt ex æquo satisfiat iniuriæ. Ita quamuis mors decernatur illis, quibus bellum indicitur, ea tamen non absolute omnibus, sed cum ea conditione, nisi satisfecerint. Deinde reorum magna est diuersitas: Priuatus n. capite suo luit delictum, vxor, liberi, cognati immunes sunt, ac mortem nocentium in Repub. consequitur etiam interitus multorum innocentium, seruitusq; itaq; possunt, primo deprecari veniam, diuitias, aliaq; offerre, quæ salua vita & libertate sua, & suorum possunt; si illa contemnantur, contra nimis duram sententiam armis tueri se possunt. Quid n. dicemus ciuibz, qui sic deliquerunt? Dicent illi. Peccauimus, pecunia ablata est, restituetur, conuicia iactata sunt, dolemus factum, cædes facta est, omnes sumus rei, quidam auctores, eos trademus; alia ratione faciemus satis. si iubet omnes mori, vxores viduas, liberos pupillos, patriam viris orbem relinquere, id grauius est, quam vt à moderato hoste imperari debeat, si iubet seruire, hoc ipsum morte grauius est. Supplices sumus, nec pœnam deprecamur, sed pœnam rogamus, at citra mortem, & seruitutem. Quod si non impetramus jam mutata causa belli victoriam sperare licet. Non licet contra tales bellum gerere, defendere illi se possunt. Fundamentum verò est, quod nemo lege naturali tenetur occidere, furem, aut homicidam, sed aliā potest eum pœnā afficere, vt ante dixi, imo leges ferri in aliqua Republ. possunt, ne homicida morte plectatur, præsertim si consensu tantum auxilioque peccauit. Non ergo ad hanc pœnam cogitur iure naturæ, nec etiam legibus hostilis Reipubl. cui non subest. Nec iure gentium, id enim lenius est, parci enim solet plurimis etiam bello crudelissimo victis.

PROPOSITIO V. Cum jam bellum geritur, si labante acie hostili, veniam & satisfactionem offerunt, caritatis est parcere, non tamen ex iustitia id facere tenetur, jam n. malefactorem in ipso actu deprehendit, nec nisi effugij causa preces præterdit. Si post aliquot prælia vtrinq; facta adhuc satisfacturum pollicetur, audire, & acceptare Princeps tenetur, modo ne fallendi temporis causa, & dolose, donec auxilia veniant, id agatur. Ratio est: quia qui verè se offendisse dolo, & ad satisfactionem paratus est, iam incipit esse innocens, ac proinde ob causas, quas antea attuli, pro Republ. debet accipi satisfactio.

§. 4. Con-

Mors integre Reipub. non debet inferri.

Venia ho-
stibus facile
danda.

§. 4. Consilium Principi laeso dederim, vt cum primum se hostis errasse agnouerit, & pro magno delicto paruam satisfactionem obtulerit, eam accipiat, imò ita agat, vt ipse suā clementia pœnam mitiget, nihil asperum, aut contumeliosum imponat, damno eorum, quorum interest, quo ad eius fieri potest, consulat; porius tamen quàm bellum se quatur ipse de suo satisfaciāt, subditosque doceat, pro communi bono incommoda quædam toleranda esse. Sic enim bellum vitabit omnium periculosissimum, quod est futurum cum desperatis. Si enim extrema videant, acerrimè resistent, pro vita & libertate pugnaturi; deinde omnes eorum miserti, vt poterunt, succurrunt; eumque, qui eos ad tam graues necessitates adigit, execrabuntur. Quod si omnia desint, in cuiuscunque potentioris ditionem, & jus se dabunt. Fidenates cum misericordiam victoris desperarent, igne se cremarunt, Saguntini se ipsi conecerunt, & plus operæ fuit in vna ciuitate, nec ea populoſa, quàm in vastissimis Asiæ regnis subjugandis. Cogiter & illud; esse multos innocentes, multos necessitate, multos leuitate, plerosque errore peccasse. Magnum causæ discrimen faciat, qui enim aperte improbi, contra ipsam gentium crudeles fuerunt, grauius puniuntur.

CAPVT X.

Maturo & lento consilio ad bella procedendum.

Primum con-
siliū in pu-
gna, ne le-
datis.

§. 1. **B**ELLVM indicturus omnia hostium, tuorum, vicinorum circumspecte, & si omnia tibi fauere aduerteris, temporum mutationes exhorresce. Bellum facturus omnia tua prius communi, ne lædaris. Deinde vt vincas vide. Hannibal Gades oppugnaturus, in Africam tredecim Hispanorum millia mittit, & mille equites, vt eam tuerentur, ex vrbe Africa quatuor millia Carthagini custodiendæ dimittit, simul obsides, simul milites habens. Lyſander Athenas obſeſſurus, omnes eo compulſit, vt defectu commeatu premeret. Sed hoc anceps est; nam inſtrai poſſet illa multitudo, & caſtra caſtris opprimere.

Bello ardē-
te omnia in-
firma ſunt.

§. 2. Consilium itaque maturum adhibendum, nec bellum nisi summā cura suscipiendum, vt & iusticia causæ, & vires expendantur. Iterum itaque iterumque ad consilium veniatur, quid enim omnia profunt, cum Respublica est bellicis difficultatibus implicata? Omnium parcitas in bella consumitur, nec tantum accipi potest a pacatis, quantum in bella absumitur. Vincenda consilio iracundia. Dictum sapiens est Nazianzeni:

Ὁυ μὴν χαλὴν μὴ φρενὸν ἔξω πείσῃς.

Animum frena, seu iram frena, ne mente excidas, malim ego huic loco accommodare:

Ὁυ μὴν χαλὴν μὴ φρενὸν ἔξω πείσῃς.

Iram frena, ne throno excidas. Rex & Consiliarij sub aurato tholo interperistromata de bello consultantes in acie se versari credant; atque eo animo sint, quo illi, quorum aures circa student, emissa tormentis iacula: si consulentium interdum quies vnus sclopi globulo terreretur, multo sedatius bella decernerent.

Consiliarij
quales in
bellum.

Rectè Princeps Outopianus, cum magno numero Consiliarij de bello consultarent, jamque Senatus consultum p bello subscribendum esset, clam constituit, vt ex opposita senaculo turri per vitreas fenestras in conclaue jacularentur milites, sine vilo periculo eorum, qui adefſent, sed ingenti pauore, cum

volitare specularium fragmina viderent, omnes dif- fugere, tuta querere; monebat Princeps, vt in periculo interriti consisterent, sed frustra; vicit timor ver- recundiam, & solus in periculo, vt putabant, Prin- cepts destituitur; ille ciuilitate timori ignoscens: Ne- mo, inquit, bellum suadeat, nisi qui & ferre pericula potest. Me in periculo destituitis, verbo leones, re lepores. Hæc errata quotidie cernimus; & olim fuisse docet Thucyd. *μὲν δὲ ἀσφαλείας μὲν ἡ ἀπορία μὲν δὲ ὁ δῆμος ἐν τῷ ἔργῳ ἐλλείπειν.* Dum securi sunt fortes sententias pronuntiant, dum in metu, in medio opere deficiunt. Hac in re nihil periculosius Principe, qui cum homo sit, damna, contumeliasque morte huma- no, id est, ægro animo, & vt excelsa mentis videatur, iracundo fert. Consiliarius fidus sententiam non p- affectu, sed salute Principis dicet. Irato enim Prin- ci Consiliarius pacatus maximè necessarius est; nam consilium dabit, quale pacatus Princeps ipse proba- ret. Multi hac in re falluntur, cum ad gratiam occu- pandam, iræ Principis adulantur, quàm mox Prin- cepts ipse positurus est. Non enim semper eodem sunt voluntates Principum, vt monet Plinius, iratorum verò voluntates vaneſcunt celerrime. Memini me legere apud Eurypidem aurea verba in supplicibus:

Σφαλερὸν ἡμεῶν θεσπύς.

Lubrica res Princeps audax, seu iactator, cui si accedat subdolos adulator, qui in lubrico motum ciere no- rit, impetu præcipitabit omnia, & cum omnia defe- cerint, ad stultorum fiduciam refugient, quæ est, vt fortunam sibi spondeant.

Consilium igitur bellis tardum ac maturum re- quiro: vnicum consilium multas superat manus. Meminerint nullos prius sentire mala belli, quàm qui mouent. Optime suadet, & peruenit Juriscon- sultorum prudentissimus Petrus Georgius Tolosa- nus, l. 11. c. 2. §. de Repub. *Paucis momentis consilium ciuitatis non minus, quàm fortuna efficit maxima. Scribit & Aimonius Burgundiones omnes, plus consiliis quàm armis tutasse suam Rempublicam. Saltem arma consilio temperan- da sunt. Sunt enim quidam nimium precipites, qui dum in- ferre pericula volunt, non cauent: cum tamen expendendum sit, vim fortuna Martemque communem & accipitem: certa p- incertis non esse mutanda, & vt ait Sallustius, omne bellum sumi facile, ceterum ægerrimè desinere: nec in eiusdem pote- state initium & finem esse. Incipere cuius vel ignauo licere, sed non deponi, nisi cum victores velint: Princeps hac in con- sultatione de bello incundo, debet quoque, consultores ipsos per- pendere, qui sint, qui suadeant, qui vè dissuadeant. Sunt in aula furia, faciesque belli, nobiles, quibus in pace durius seruitu- um est, quo tempore coguntur probis legibus obtemperare, & a quibus in belli licentia se liberant: sunt iniqui, qui neque ipsi quiescunt, nec alios quiescere sinunt; sunt exules, qui in eos, a quibus pulsi sunt merito metu pœnarum cunctantem Prin- cipem in arma impellunt. Sunt qui pretextu publicæ causæ, vel se ipsos de inimicis vindicare, vel ditescere stipendii, & sumpti- bus Principum, & ex rapina in subditos, capiunt. Sunt plures qui de bello peragendo consilium facile dant, sed periculum pos- tea subire detrectant. Sunt qui presentia tantum respiciant, & iram exandescentem implere desiderant, sed mala publica & priuata non considerant: quæ omnia tamen prudens Prin- cepts vel Reipubl. gubernator, prius expendit, quàm aggredia- tur. Nempe bello instituto, vt ait Thucydides, Principes male audire & culpari ob damna. Consilium bellicum verò in his constituo, vt quantum iuentus Matte feroci exuperat, tantum omnes prouidere atque euol- uere casus omnes, Senatus esse sui muneris, arbitra- tur.*

§. 3. Hæc verò consideret. Primo. Quis hostis? Quæ con- ſ- an Pœnus? an Asiaticus? an tantum impetu, an verò deranda etiam dolis & prudentia valeat? stultus est, si quis sunt bella- mille arctibus contra quinquaginta lupos bellum turo. adornat.

Consulen-
dum Prin-
cipi non a-
dulandum.